

Beiheft

2

S 183

1284 Juni 9 [Primi et Feliciani] Rheingrafenstein.

[42]

183

Wilhelm von Schwarzenberg und seine Angehörigen verzichten auf einen Hörigen. Universis presentium inspectoribus ego Wilhelmus de Svarzenberg et Hildegardis uxor mea necnon Tilmannus filius meus volumus esse notum publice protestantes, quod communi consensu et voluntate renunciaviamus omni juri et consuetudini, quod de iure vel de facto in Conrado, filio quondam Arnoldi de Oberwilre, habuimus hucusque, tali modo, quod numquam in persona sua neque in bonis suis acquisitis et acquirendis, ubique locorum illa habeat, extra bannum ville Sinsbach debemus molestare, ledere aut gravare pretextu alicuius attinente vel iure nobis debito, quia ipsum Conradum absolvimus et liberum dimisimus ab omni iugo servitutis, in quo de iure vel de facto nobis esse astrictus videbatur, sub presentium testimonio litterarum, quibus mei Wilhelmi supradicti sigillum una cum sigillo domicelli mei dicti Roup, comitis Silvestris, et domini Crippling(en) avunculi mei sunt appensa. Si vero predictum Conradum in bonis iure hereditario ad eum devolutis sitis apud Oberwilre vel Sinsbach contigerit facere voluntariam mansionem, de ipsis bonis domino Wilhelmo vel eius heredibus servitia faciet, que bona consimilia in eodem loco sita facere consueverunt. Nos quoque G[odefridus] dictus Roup et Crippling(en) predicti esse actum, ut in premisso litterarum serie continetur, profitemur necnon presenti cedula ad rogatum memorati Wilhelmi nostra sigilla apposuisse. Ego quoque Hildegardis et Tilmannus, quia sigillis propriis caremus, presentibus sigillis usi sumus et contenti. Datum et actum apud Lapidem anno Domini M^oCC^oLXXXIII^o, Primi et Fabiani.

Orig. Berg. Von den 3 Siegeln vom 1. Rest erhalten; Kyrburg Nr. 279.